



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 17. Cochlæi opera contra Lutherum, aliosque hæreticos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

## §. XVI.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1543.*Alia ejusdem Scriptoris opera.*

Præter hunc librum Pighius insuper posteris reliquit I. tractatum de *Missa Sacrificio contra Lutheranos*, II. apologiam adversus Bucerii calumnias, III. explicationem controversiarum, quæ in comitiis Ratisbonensibus fuerunt agitatæ, IV. tractatum in decem libros divisum de libero arbitrio, & gratia contra Calvinum, V. opusculum seu *consilium de componendis Ecclesiæ dissidiis*, ubi etiam dissertatio de *actis sextæ & septimæ Synodi* reperitur. Ceterum Pighius circa Prædestinationem & gratiam a D. Augustini & S. Thomæ doctrina multum discessisse videtur; quippe non modo homines per gratiam habitualem sanctificari negat, sed etiam affirmat, quod nostra justificatio a duplici oriatur causa, quarum prima sit justitia inhærens, altera vero Christi justitia nobis imputata. Denique quædam alia circa peccatum originale adstruit, in quibus non minus ac Catharinus ab Ecclesiæ doctrina recessit.

## §. XVII.

*Cochlæi Opera contra Lutherum, aliosque hæreticos.*

Hoc item anno Christi millesimo quingentesimo quadragésimo tertio quædam

Sæcul. XVI. A.C. 1543. dam Cochlæi opuscula typis vulgata prodierunt, inter quæ præcipue numeratur insignis quidam tractatus de auctoritate Canonica Scripturæ & Ecclesiæ Catholicæ. Hunc libellum Cochlæus ad Bullingerum Tigurinum Zwinglianæ hæresis Ministrum transmisit, ibidemque confutavit duos libros, quos idem hæreticus anno salutis nostræ millesimo quingentesimo trigesimo octavo typis impressos Angliæ Regi nuncupaverat. Porro hic idem Cochlæi liber ceteris omnibus magis eliminatus videtur, ibidemque Auctor sua argumenta cum majori, quam ullibi, perspicuitate ac verborum concinnitate pertractavit, nec non succincte egit de præcipuis controversiis circa libros Canonicos, Ecclesiæ auctoritatem, Conciliorum & Pontificum traditiones, nec non circa Sacramentorum numerum, legesque ac Constitutiones Ecclesiasticas. In hoc libro Cochlæus Bullingerum his verbis alloquitur: „ Si haud alius tibi animus foret, quam ut abusus, qui in Ecclesiâ ex Præfulum socordia irrepserunt, redargueres, atque non nisi in perver- sam quorundam Clericorum, qui sui muneris immemores sunt, vitam, corruptosque mores invehereris, non modo tuum commendarem studium, sed ipse etiam te palam deprædicare haud  
„ du-

„dubitarem: cum vero erecto collo  
 „præcipuos fidei articulos aggredieris,  
 „falva religione ad tuos ausus obmute-  
 „scere haud valeo. „

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1543.

Ceterum Cochlæus insuper inter sua opera recenset tractatum de igne animas defunctorum purgante contra duos Andreæ Oliandri sermones, & pariter in compendium redegit Cleri atque Universitatis Colonienfis judicium circa Bucerii librum, qui paulo ante typis excusus prodierat.

## §. XVIII.

*Ignatianæ Societatis incrementa.*

Haud minorem nominis sui famam, quam Cochlæus suis elucubrati-  
 nibus paraverat, etiam Ignatius sibi conciliaverat præclaris novi Instituti sui incrementis; quippe frequens erat illorum concursus, qui huic Societati nomen dare postulabant, quin imo ipse summus Pontifex non modo legem, qua Sociorum recens aggregatorum numerum olim duntaxat ad sexaginta restringebat, dein relaxavit, sed etiam alio diplomate postea edito indulfit, ut Ignatius sumpto prius experimento suæ Societati illos omnes adjungere posset, quotquot ad amplectendum hoc vitæ genus sese eidem oblaturi essent. Datum est hoc Pontificis Decretum die  
 quar-

Orland. hist.  
 Soc. l. 4. n. 1.  
 Bouh. vie de  
 S. Ign. l. 4.  
 p. 260.